

- Inter et artifices quasi quedam stella micabat.
 Suffusam faciem reddens labor ipse rubore
 50 Maiori faciebat eum vernare decore,
 Et licet arte carens erat illi forma decoris;
 Et cui nativum decus omnis inesset honoris,
 Presertim vero Domino cum sacrificaret,
 Ornatusque decens hunc in festis decoraret,
 55 Tunc vel apostolico vel de cętu superiorum
 Credere quis forsā posset pro laude decorum.
 Tantus honos formę personaque tam veneranda
 Commendabat eum multisque bonis celebranda,
 Quę commendari vel voce quidem potuisset,
 60 Si nichil ulterius probitatis promeruisset.
 Hac tam magnifice quam dulce quidem reboabat
 Inque Dei laudes satis adstantes animabat.
 Omnis vero status erat illi sic moderatus,
 Ut sub censura laudis foret usque probatus.
 65 Precipueque tamen dotes animę potiores
 Hunc illustrabant pollentes indole mores:
 Prudens simplicitas, humilis mens atque modesta,
 Nulli livoris aliquo rancore molesta;
 Et quoniam fuerat omni dulcedine plenus,
 70 Semper tranquillus erat aspectuque serenus,
 Alloquio mitis, promptus, sed convenienter;
 Quippe Dei donis uti norat sapienter,
 Primatumque boni tamen eius mente tenebat,
 Eius quę mentem dilectio prorsus habebat.
 75 Tempore nos modico rexit, quia non meruerunt
 Hunc mala nostra quidem, dum nobis subripuerunt.
 Currus et auriga cum cursum religionis
 Artius urgeret sub calle quidem rationis,
 Proh dolor! occursu communis prepete mortis
 80 Hęc medio nisu defecit dextera fortis.
 Sic nostri capitis est rapta corona decoris,
 Quę nos ornabat studioque regebat amoris.
 Christe deus, requies et spes et vita tuorum,
 Da sibi te¹ requiem vitamque piam superiorum.
 85 Hoc te, vera salus, nostrę devotio mentis
 Supplex exorat patris huius amore calentis.

Eine andere Hand s. XII. fährt fort:

Isti successit Rodulfus, qui probitatis
 Eiusdem magneque fuit vir strenuitatis
 Et non inferior illo vel qualibet arte

1) So Hs.